



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Ariete.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Ego Od. 4. Et de maxime inter se discrepantibus Ovidius ait,

Mecum.  
lib. 1.  
Lupi & O-  
vis antipa-  
thia.

Nat. Lupus inter Oves.

Ajunt vero eam esse antipathia vim, ut plerumque Agni recen-  
ter nati, neque ullius animalis extra caulas effigiem intuiti, au-  
dito repente Luporum ululatu exanimescant, subitarioq; eo per-  
culsi metu, mortui concidant. Quinetiam periti rerum prædicant,  
horum animalium inanima etiam in eadem natura disensione  
perseverare. Ovillas enim fides si aliis ex lupino intestino factis  
fidibus associentur, & absonas & præ metu mutas permanere. Idè  
de tympanis ex ovilla pelle & lupina factis accidere tradit Oppia-  
nus: simulac enim pulsantur, ovillum mutum esse, lupinum solum  
exaudiri.



Arietem natu-  
ra ferocis.

DE ARIETE. CAP. XXIX.

FEROCITAS.

Sed quantum in Agno mansuetudinis superius agnosce-  
bamus, tantum in Ariete ferocitatis experimur: simul  
enim ac cornua accreverunt, pugnacissimi fiunt, neque se  
tantum in suo genere laceflunt, incurfantesque invicem  
arietant, verum & homines impetunt, in bellumque pro-  
vocant. Unde etiam dicitur celebratur, *κερός ἀσέλ-  
ρονέως*: qua forte de causa Marti cœlestis Aries dedi-  
catus: & si qua Planetis in humano corpore vis, fel à Mar-  
te regi dicitur: in eo vero sedes iracundiæ, & bilis. Et  
Adamantius immolatos apud Hebræos Arietes, apud nos  
iracundiam jugulari debere, putat intelligendum.



BELLUM. CAP. XXX.

Sive igitur pugnacitas hæc in causa fuerit, sive sanctius  
instituti homines, cum aliqua affecti essent injuria, ultio-  
nis procuracionem non à se, utpote qui ex mansueti & in-  
nocuo essent genere procreati, proficisci, sed ab hostium improbitate atque injusta, indicare, te-  
statumque facere vellent, indicturi cuiuspiam bellum, Arietem per faciem præmittebant, quem in  
hostium fines immitteret: vel honestà ita causam suam ostensuri, quod non nisi provocati bellum  
gerere cogerentur: vel, quod alii malunt, ut hostilem agrum suæ jam prædæ expositum indicarent.  
Itcunq; sit, *Aries*, ut ait Hesychius, *vexilli nostri, hoc est Crucis, hieroglyphicum est, Crux vero redem-  
ptionis: Aries ille, inquam, qui pro Isaac in holocaustum oblatus est, in virgulto Sabech, ut Septuaginta  
ediderunt, à cornibus religatus.* Sabech vero Remissio interpretatur, quia Crucem, quæ remissionis  
virgultum fuit præmonstrabat.

RIVALITAS. CAP. XXXI.

Sunt, qui rivalitatem hieroglyphice per Arietes duos cornibus  
se invicem laceflentes significari dicant, quandoquidem in e-  
jusmodi concertationem amoris causa ferri eos perhibent:  
quippe qui offensionem intelligant sibi fieri, si quas amant Oves,  
ab aliis saltri conspexerint, quod Hirci plurimum negligentes,  
fasque deque ferre solent.



VENUS. CAP. XXXII.

Aries libi-  
cini hiero-  
glyphicum.

In hujusmodi vero Venerei affectus hieroglyphicum Aries mul-  
tis est veterum monumentis impostus. Nam qui ante Co-  
rinthi urbem intra priores pedes Leænæ, quæ Laidis tumulo im-

posita